


Christoph Martin Burchard


Programma, Qvo Rector Academiae Rostochiensis Christoph. Martinus Burchardus, Med. Doct. & Prof. Publ. Ord. Ad Festum Genethliacum Salvatoris Nostri, Pio ac devoto animo Celebrandum Cives Academicos ... invitat. & de vitanda in Religionis Exercitio Negligentia, Incredulitate, ac propriae Sanctitatis Præsumptione serio admonet

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1732?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017138>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1732. Weihn.

~~M-1256~~ 220.

W. 1732

PROGRAMMA,
QUO
RECTOR ACADEMIÆ
ROSTOCHIENSIS
CHRISTOPH. MARTINUS
BURCHARDUS,
Med. Doct. & Prof. Publ. Ord.
AD
FESTUM GENETHLIACUM
SALVATORIS NOSTRI,

Pio ac devoto animo
Celebrandum

CIVES ACADEMICOS
HONORATISSIMOS

invitat.

&

de vitanda

in Religionis Exercitio

Negligentia, Incredulitate, ac propriæ

Sanctitatis Præsumptione

ferio admonet.



R O S T O C H I I,
TYPIS IO. IACOB. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD.
TYPOGRAPHI.

M. 1256 220



Voties in sacris Literis

legimus Historiam de primo Salvatoris Nostri in hunc Mundum adventu, non possumus fatis mirari Gentis Judaicæ supinam negligentiam, dicam, an cæcitatem; quod, quamvis manifestis indiciis de salutifero isto adventu convicta esset, nihil tamen exinde commota, obviam ire Messiaë vel neglexerit, vel malitiose detrectaverit. Tempus quippe hujus adventus à Daniele determinatum, adimpletum erat; nec Civitas, quæ luci eum exposuerat, vel ignota erat, vel longe Hierosolymis distabat; Pastores quoque quibus tanta magnificentia nativitas ista fuerat indicata, undique gloriosam istam apparitionem divulgabant, ipsi oculati testes, qui Messiam, Bethlehemem recens natum, conspexerant, & coram erant venerati. Sed præter istos quenquam ex Judæis, horum præconiis excitatum, illuc abiisse, nullibi legimus. Forte tamen horum voces ad aures Sacerdotum non pervenere? aut non fatis digni testes visi, quibus in tanta re statim crederetur? Ast mox ex dissita Oriente adventantes Magi Hierosolymitano populo indicabant, sibi Stellam comparuisse, hujus nativitatis prænuncium; adeoque ut locus indicetur, in quo natus sit Messias, postulabant. Responsum quoque dedit magnum Judæorum Synedrium, non dari alium locum natalem, præter Civitatem Bethlehemiticam, ex *Micah* Cap. V. Quæ quamvis publice agerentur, nec sine consternatione, ut Lucas refert, tamen quemquam
nomi-

nomine hujus Collegii Magos illuc conduxisse, aut eo ablegarum esse, ut certitudinem acquirerent de tanta re, & digne satis exciperent, quem per tot milenarios tam avide expectaverant tot Patriarchæ, tot Reges, tot Prophetæ, atque alii fideles, nullibi comparet. Quænam hic vesania mentes Judæorum occupaverit, ut salutis suæ negligentibus, tam parum tunc temporis expectaverint Messiam, ut etiam non sine terrore ejus adventum perceperint, dici vix potest. Videtur autem mihi, diversas rationes subfuisse, quæ in devia traxerint gentem istam, ut Messiaæ adventum vel non curaverint, vel abesse potius eundem, quam adesse maluerint. Certe cum plebem Judaicam considero, lupina eum negligentia hæc nova & inaudita percepisse, facile mihi persuadeo, ita ut in eam etiam quadrare dici possit, quæ Lucae XIV. Salvator noster affert, quod ad convivium invitati se excusaverint, & primus agrum emerit, alter boves, tertius uxorem duxerit. Insatiabilis namque habendi libido, quæ adhuc dum vulgus Judæorum obstrictum tenet, & quæ in causa est, ut nullis laboribus, nullis technis ac fraudibus parcant, ad augmentandum suum peculium, negligentiores eos reddit in iis, quæ ad animarum spectant salutem. Contra vero Optimates, & Sacro Ordini addicti, apud quos etiam tunc temporis supererat umbra quædam Civilis Majestatis, vel fucata sanctitate singularem auctoritatem quærebant, ut Pharisæi, vel crypto-Athei erant, ut Saducei, nullam spirituum existentiam, nullam corporum resurrectionem admittentes. Saducei ergo, quæ à Pastoribus de Angelorum apparitione, & Messia in lucem edito, spargebantur, æque ac ista, quæ Magi tradebant, tanquam aniles

)(2

fabulas,

fabulas, & ingeniorum deliramenta contemplabantur, cui fidem addicere nemo possit, nisi qui sponte imbecillitatem intellectus sui prodere velit. Pharisæi vero jure sibi timebant, ne sanctitatis ista opinio ac autoritas, quam sibi apud vulgum excitaverant, per adventum Messiaë penitus destrueretur, conscientia quippe convicti, quantopere corruptam reddidissent à Mose traditam Doctrinam, tot vanis traditionibus & falsis interpretationibus conspurcatam. Multo magis ergo verebantur Summi Sacerdotes, & qui ad ipsos pertinebant, ne potentia sua & autoritas imminueretur, cum Messiaë adventanti non solum Regnum, sed etiam æternum Sacerdotium, ad morem Melchisedechi, esset promissum. Hinc panicus ille terror, non solum Herodem, qui Regiæ suæ dignitati metuebat, affligens, sed Hierosolymam, aut potius magnum illud Synedrium percutiens, ut *Mattheus* Cap. II. refert. Tantum ergo apud hosce valuit factus ille Pharisæicus, & sanctitatis affectatio, ut Messiam, sibi præ cæteris populis promissum, ne agnoscere quidem, multo minus recipere dignarentur. Certe, quam alieno animo tunc temporis ab ipso fuerint, plenius apparet apud *Lucam* Cap. II. Cum enim in diebus purificationis à Matre præsens sisteretur in Templo Filius, Simeon æque ac Hanna, Prophetico spiritu agitati, publice, in præsentia Sacerdotum, qui sacrificiis præerant, indicabant. hunc esse promissum tamdiu Messiam, ut nullus Ordini Sacro excusationi aut ignorantiaë locus supersit, quin agnitum haberint, sibi que servare potuerint hoc DEI Depositum, nisi prævaluisset apud ipsos propria existimationis amor, & forte contemptus ac fastidium pue i, ab egenis parentibus pronati; indignum reputantes, illum

lum tanquam Messiam venerari, qui propriæ suorum;
indigentia subvenire non posset.


Nostrum vero est Cives, Optimi, Suavissimi
quoties renovamus memoriam hujus festivæ Na-
tivitatis, ut aliam vitam induamus, aliosque mores;
quam quos in Gente Iudaica observavimus. Non
enim forte desunt & inter nos, qui ob nimiam re-
rum mundanarum curam negligunt venire ad nu-
ptias, quas Filio suo parat Pater cœlestis; Nec forte
istis destituimur, qui sunt de grege Saduceorum;
qui hunc mundum vel DEum putant, vel certe Ma-
chinam, ob causarum immutabilium, & ex necessi-
tate succedentium, revolutionem, æternum duraturam;
Crypto - Athei; qui etiamsi DEum nominetenus ad-
mittant, tamen adeo impotentem eum reddunt,
ut nil ipsi relinquunt, præter delectationem istam,
qua sibi totum hoc universum distincte & complete
repræsentare possit. Nec deficit etiam Christianæ
Ecclesiæ Secta Pharisæorum qui historica noticia Sal-
vatoris nostri contenti, non ulterius eum contem-
plantur, quam exemplum, ad quod vitam suam
componere debeant Christiani, ita ut propria sua
sanctitate regnum cœlorum non solum demereri se
posse, sed etiam suorum operum præmia in alios
conferre, sibi persuadeant. Hoc ergo nobis agendum
est, Cives, ut præsentis temporis Festiva non tan-
tum pio ac devoto, sed & læto animo transigamus,
quoniam natus nobis hodie est Salvator Mundi,
qui est Christus. Imitemur Pastores, qui relictis suis
ovibus, Bethlehemum properabant, ut sua facerent
gaudia ista, & pia vota funderent in sinum illius, à
quo unice salus omnium pender. Perpendamus ar-
dorem Magorum, qui ex longinquis Orientis regi-

onibus advolabant, ut munera sua offerrent Regi recens nato. Non tot labores suscipiendi, nec tot regiones transeundi, aut maria transmittenda nobis sunt, Cives, ut ad Salvatorem nostrum accedamus. Patent nobis undique ædes divinæ & cœtus fidelium, quibus adesse, ac mediis interesse promisit, is qui mentiri nequit, ipsum Os Veritatis. Verum, ut animus humanus plerumque illorum facietate, brevi capitur, quibus abundat, sic in ipso Sacro Cultu id observamus, ut eo negligentiores in eo simus, quo abundantior eum exercendi nobis offertur occasio. Quod si ergo & nos olim ita viximus, deponamus istam negligentiam, & majori ardore Festum præsens celebremus, quod in memoriam nascentis Christi institutum est. In oculis nobis & animo sit Exemplum illud illustre, & æterna memoria dignum, Salisburgensium, qui post habitis omnibus suis bonis ac fortunis, nullas ærumnas, nullas itineris molestias, cœlique inclementis injurias aut paupertatis tædia ac ignominiam curant, ut aditum ad istam Ecclesiam inveniant, in qua loco lacunarum, ex Traditionibus Papalibus profluentium, limpidissimos ex verbo divino haurire rivos, loco superstitionis, ad idololatram accedentis purum DEO cultum præstare sibi licet. Non deficiebant ipsis in Papatu Nomina Sanctorum, quos pro cultoribus suis intercedere Papatus credit; tot potius illorum sunt, quot muscarum est æstate, cum calet quam maxime. Sed deficiebat Evangelium, remittens nos ad eum, qui solus nos sanctos reddere, & omnem nostram impuritatem delere valet, Mundi Redemptorem. Hunc ergo ut puro cultu venerari sibi liceret, nec quæ præsentis à Pontificiis

ciis satellitibus cucullatis perferebant mala, nec quæ in posterum expectanda erant, curarunt quicquam. Tanta vis est Verbi Divini, ut qui ejus dulcedinem degustaverint, ac de veritate Religionis Evangelicæ sint convicti, eam omnibus hujus universi opibus ac splendori præferant, suoque exemplo ostendant, quod vero Christiano non difficile sit, & Patrios lares, & chara amoris pignora, ac denique fortunas omnes relinquere, & despectui habere, si forte sincero DEI cultui afferant impedimentum. Exturbanda itaque ex animis nostris est ista negligentia & segnitias, ac grato animo agnoscenda benignitas divina, quæ in hunc usque diem & veram salutiferam de Christo Doctrinam, & purum sincerumque cultum nobis permisit, ac conservavit. Ast porro quoque prospiciendum, Cives, ne sublimioris Philosophiæ abusus nos seducat, ita ut plus tribuamus nostræ imaginationi, quam Divinæ revelationi. Absonum namque est Divinæ potentiæ ac sapientiæ limites præscribere pro modulo nostræ rationis, ita ut negare non vereamur, & tanquam impossibilia respiciamus, quæ captum nostrum superant. Certe, dum nimium meditationibus abstractis, methaphysicis, tribuimus, & quasi nihil in Doctrina Spirituum, aut Naturali, nobis inaccessum sit, imaginamur, difficile erit, non aberrare in plurimis, quæ postea vel aliis offendiculo sunt, vel nos ipsos præcipites ad Atheismum rapere valent. Non patitur præsens institutum ad ejusmodi doctrinas descendere, quæ publicis scriptis nunc traduntur, & quæ magnum Eruditorum in Germania numerum in suas traxerunt partes: ad vertamus potius ad Apostoli Pauli monita Coloss. II. v. 8. & I. Timoth. VI. v. 20. ubi Philosophicas istas
vani-

vanitates, Scientiæ falso ita nominatæ titulo perstringit. Tantum vero abest Cives Optimi, ut Studia Philosophica damnem, quin potius lubens agnoscam, quod hæc ipsa animum excolant, imo & ad Theologiam revelatam, cum addiscendam, tum tradendam, ac defendendam, quam maxime sint necessaria; in quantum nimirum vel ipsæ Disciplinæ, practicæ existunt, vel usum aliquem humano generi afferunt; quemadmodum id itidem ostendit Celeberr. Heumannus; adeo, ut istos, qui nimium abstracte philosophantur, & non nisi minutias captant, indignos nomine Philosophi æstimet. Act. Phil. Tom. I, p. 100. Certe qui in Doctrina de Spiritibus, plus tribuit suis Hypothesibus, quam Revelationi divinæ, in Scientia vero Naturali somnia sua Philosophica præfert Historiæ Phænomenorum, & Philosophiæ Experimentali, is non solum fallit & fallitur, sed etiam facile eo delabitur, ut Mysteria Divina vel negligentius curet, vel sinistre de iis sentiat. Quemadmodum autem periculosa res aleæ est, de DEO vel scribere, vel putare, quæ Majestatem ipsius lædunt; sic quoque periculo non vacat, si nos ipsos tanquam Semideos consideramus, & propriam nostram Sanctitatem in trophæum erigimus, quo Cæli portas occupemur. Inconcussum enim perstat Salvatoris Nostri effatum: Si vestra justitia non melior fuerit, quam Pharisæorum ista, in Regnum Cælorum non intrabitis. Spiritus ergo Veritatis nos in vera fide, ardore, ac amore conservet: id quod ex animo voveo, valete.

P. P. sub Sigillo Rectorali,
Anno MDCCXXXII. d. XXV. Dec.



ciis satellitibus cucullatis perferebant mala, in posterum expectanda erant, curarunt qui Tanta vis est Verbi Divini, ut qui ejus dulcedegustaverint, ac de veritate Religionis Evangelicæ sint convicti, eam omnibus hujus universi opulentiæ splendori præferant, suoque exemplo ostendunt quod vero Christiano non difficile sit, & Patres, & chara amoris pignora, ac denique filios omnes relinquere, & despectui habere, si forte DEI cultui afferant impedimentum. Extulit itaque ex animis nostris est ista negligentia & tarditas, ac grato animo agnoscenda benignitas quæ in hunc usque diem & veram salutiferam Christo Doctrinam, & purum sincerumque nobis permisit, ac conservavit. Ast porro prospiciendum, Cives, ne sublimioris Philisophiæ abusus nos seducat, ita ut plus tribuamus imaginationi, quam Divinæ revelationi. Asumptamque est Divinæ potentia ac sapientia præscribere pro modulo nostræ rationis, ita ut re non vereamur, & tanquam impossibilia credimus, quæ captum nostrum superant Certum nimium meditationibus abstractis, metaphysicis buimus, & quasi nihil in Doctrina Spirituum, naturalium, nobis inaccessum sit, imaginamur, erit, non aberrare in plurimis, quæ postea offendiculo sunt, vel nos ipsos præcipites ad tum rapere valent. Non patitur præsentium ad ejusmodi doctrinas descendere, quæ scriptis nunc traduntur, & quæ magnum Eruditionis in Germania numerum in suas traxerunt partem vertamus potius ad Apostoli Pauli monita Coloss. v. 8. & I. Timoth. VI. v. 20. ubi Philosophi

